Conſtrui etiam poſſunt æquationes per Hyperboliſmum Parabolæ cum diametro. Ut ſi conſtruenda ſit hæc æquatio dimenſionum novem termino penultimo carens, $\begin{array}{l} a+cxx+dx^3+ex^4+fx+gx^6+hx^7 \\ \qquad\qquad\qquad\qquad\qquad\quad +m \end{array}$ $+kx^8+lx^9=0$; aſſumatur æquatio ad Hyperboliſmum illum $xxy=1$, & ſcribendo y pro $\frac{1}{xx}$, æquatio conſtruenda vertetur in hanc $ay^3+cyy+dxyy+ey+fxy+mxxy+g+hx+kxx+lx^3=0$, quæ curvam ſecundi generis deſignat cujus deſcriptione Problema ſolvetur. Et quantitatum m ac g alterutra hic deeſſe poteſt, vel pro lubitu aſſumi.

Per Parabolam cubicam & Curvas tertii generis conſtruuntur etiam æquationes omnes dimenſionum non pluſquam duodecim, & per eandem Parabolam & curvas quarti generis conſtruuntur omnes dimenſionum non pluſquam quindecim, Et ſic deinceps in infinitum. Et curvæ illæ tertii quarti & ſuperiorum generum deſcribi ſemper poſſunt inveniendo eorum puncta per Geometriam planam. Ut ſi conſtruenda ſit æquatio $x^{12} * +ax^{10}+bx^9+cx^8+dx^7+ex^6+fx^5+gx^4+hx^3+ixx+kx+l=0$, & deſcripta habeatur Parabola Cubica; ſit æquatio ad Parabolam illam cubicam $x^3=y$, & ſcribendo y pro x^3 æquatio conſtruenda vertetur in hanc

$$\begin{array}{lllll} y^4 & +axy^3 & +cxxyy & +fxxy & +ixx=0, \\ & +b & +dx & +gx & +kx \\ & & +e & +h & +l \end{array}$$

quæ eſt æquatio ad Curvam tertii generis cujus deſcriptione Problema ſolvetur. Deſcribi autem poteſt hæc Curva inveniendo ejus puncta per Geometriam planam, propterea quod indeterminata quantitas x non niſi ad duas dimenſiones aſcendit.